PRODROMI SYSTEMATIS HARMONICI MEDICI, TRACTATVS TRES; QVORVM

PRIMVS.

Medicinæ & Chymiæ naturam explicat;

SECVNDVS.

Medici & Chymiatri requiſita recenſet;

TERTIVS.

N. Medicinæ Syſtema harmonicum adumbrat.

Omnibus qui tum Medicinæ, tum Chymicæ arti, vtilem nauant operam, & cognitu & ſcitu maximi neceſſarii.

Παρασκευή.

I. Omnis in vniuerſum plena perfectaque diſciplina quatuor abſoluitur partibus; præcognitis ſcilicet, præceptis, regulis & commentariis.

HÆ quatuor partes in vnaquaque diſciplina ſumma diligentia diſtinguendæ, non confundendæ ſunt, vt ſecundum has vnam quamque ordine & gradatim, tum docere, tum diſcere queamus: nihil in ea redundet, nihil deficiat.

II. Præcognita nihil aliud ſunt, quam anticipata doctrina, & cognitio de natura cuiuſque diſciplinæ.

SOlent autem tria præcognoſci in ſingulis diſciplinis, tum theoricis, tum practicis. In theoricis quidem